

pere; et vidua, quæ duo ærea minuta misit in gazophylacium, plus omnibus misit.

Denique, quia cæteræ virtutes desinunt in cælo, charitas semper manet.

V. Quomodo oportet diligere proximum sicut seipsum? Resp. primo, diligendum proximum amore naturali, cujus duo præcepta sunt. Unum indicat Christus, Matth. VII. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*: alterum, Tobias, c. IV. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*. Secundo, amore supernaturali; ita ut amor proximi oriatur ex amore Dei seu ut ametur proximus propter Deum; quomodo etiam nos ipsos diligimus propter Deum. « Charitas vera est, inquit S. Greg. hom. XXXVIII. in evang. cum et in Deo diligitur amicus, et cum propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui jam et eos diligere, a quibus non diligitur, scit. »

Resp. secundo, secundum D. Thomam, II. II. q. XLIV. art. VII. diligendum esse proximum sancte, juste, vere. Primo, sancte, ut sicut aliquis ex charitate seipsum diligit propter Deum et secundum bona supernaturalia; ita etiam pro-

ximum diligit: secundo, juste, non expetendo proximo malum aliquod, sed quod bonum est; sicut sibi quisque tantum bona velle debet: tertio, vere, ut quis diligit proximum propter ipsius proximi commodum, amore scilicet veræ amicitiae.

VI. Quare Christus Pharisæis proposuit quæstionem de Christo? Resp. primo, ut ostenderet sapientiam suam, non ab hominibus, sed e cælo haustam, sicque illi fidem faceret, quod de cælo venerit. Secundo, ad retundendam ambitionem Pharisæorum, qui, se omnia scire putabant, et variis quæstionibus paulo ante propositis nitentur Christum capere in responsione. Unica ergo quæstione eaque omnibus scitu necessaria, eos mutos facit adeoque indoctos esse ostendit. Tertio, ut doceret nos utilia et necessaria imprimis, non ludicra et inutilia pervestigare; sicut fecerant Pharisæi qui inutiles quæstiones ipsi proposuerant. Quarto, ut doceret fidem operibus et opera fidei jungenda, nec unum sine altero sufficere; ideoque post commendatum dilectionis mandatum, requirit rectam in Christum fidem.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUOMODO EX TOTO CORDE DEUS DILIGENDUS.

- I. Ut nihil æque ac Deum, multo minus aliquid supra eum amemus. — II. Ut pro eo omnia dare velimus. — III. Ut omnia ejus præcepta servare velimus. — IV. Ut leviores etiam offensas evitemus. — V. V. totam nostram spem in Deo colloceamus.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.
Matth. XXII.

Mirabilis contentio coram Salomone agitata describitur, III. Reg. III. inter duas mulieres, eodem in cubili cum infantibus suis dormientes, quarum una in somno oppressit filium suum, mortuumque clam cum alterius vivente commutavit. Cumque hæc repeteret filium, illa vero negaret, sed suum esse contenderet, jussit Salomon judex gladium afferri ad dissecandum infantem vivum, de quo erat contentio, ut pars infantis uni, pars alteri daretur. Quod ubi audivit ea quæ vere mater infantis erat, servari infantem jubet:

altera nequaquam, sed dividendum esse clamat. Ex quo non hæc, sed illa deprehensa est esse mater. Non absimilis contentio est inter Christum Deum ac Dominum nostrum, et inter cacodæmonem de corde et amore hominis. Christus, qui nos genuit per baptismum in sanguine suo, repetit cor nostrum velut suum fœtum: dæmon, qui non genuit, sed oppressit hominem sua suggestione, contendere non veretur sibi id deberi. Cumque id nullo jure ad se rapere queat, petit ad extremum, quod impudens illa mulier: *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur*. Contendit inquam Satanæ, ut qui totum hominis cor ad se trahere facile nequit, saltem in quam plurimis ut vel ejus partem obtineat. Contra impudentem istum humani generis hostem præcipit in hod. evang. Christus serio et inculcat nobis mandatum Patris sui: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, q. d. vide ut totum cor et amorem tuum Deo tuo impendas, ac ne dividi patiaris, ut partem Satanæ vel minimam concedas. Quod qua ratione facere quisque debeat, videamus.

I. Ut nihil æque ac Deum, multo minus aliquid supra Deum amet, sed ipsum solum, reliqua

propter ipsum. Magnus nimis est Deus, qui et jure suo possidet cor nostrum, unde amorem ejus reciprocum requirit nec corrivalem admittit. Unde Exod. XX. ait: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes*; seu ut Deut. V. repetit: *Æmulator*. Quia, scilicet, hominis animam tantopere amat, ut non sinat eam impune fornicari, seu alteri creaturæ adhærere: quemadmodum et virzelotypus amans valde conjugem, alterum ei amasium minime concedit; ac si quem talem deprehendat, inultum non dimittit. Dux quidam Oppaviæ cum uxori, quam ex Lithuania acceperat, obviam ivisset, et hujusmodi adolescentem corrivalem in comitatu ejus deprehendisset, parum aderat, quin eum canibus dilaniandum objiceret, teste Æn. Sylv. I. IV. commen. in Panorm. Multo majorem Deus animarum zelum habet, quas non solum condidit, sed et sanguine suo reparavit sibi que despondit. Hinc illis adulterantibus jure merito irascitur S. Jacob. c. IV. *Adulteri, nescitis quod amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus hujus sæculi fieri, inimicus Dei constituitur*. Adulteros appellat, qui, deserto Christo, sponso suo (de quo apost. II. Cor. XI. ait: *Respondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*) perfidi adhærent per amorem mundo et creaturis, sicque Dei inimici fiunt, qui sponsæ esse deberent. Idem exprobravit Elias Hebræis, alienos deos sectantibus, III. Reg. XVIII. *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum*; jussitque apprehendi et occidi 450. prophetas Baal. Pari in causa Samuel exhortans populum Hebræum, I. Reg. VII. ait: *Si in toto corde vestro revertimini ad Deum, auferte deos alienos de medio vestri Baalim et Astaroth, et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli*. Ecce totum cor vult habere Deus, et serviri ipsi soli. Nihil vero minus faciunt, qui alteri creaturæ præter Deum adhærent per amorem, quam fecerint Hebræi ad idola deflectentes; nisi quod illi abjiciant solum charitatem Dei, hi vero etiam fidem eliminarint. Quærit S. August. I. I. de consensu evang. c. XVII. cur Romani Christum (ad petitionem Tiberii Cæsaris) in deorum suorum numerum admittere noluerint: *Nam, inquit, coluerunt aliarum gentium deos, quas Romanum subjecit imperium, præsertim cum eorum sententia esset, omnes deos colendos esse sapienti*. Et respondit ib. c. XVIII. *Nihil restat ut dicam, nisi quia (Christus) solum se coli voluerit*. Totum enim affectum, totam animam postulat, omnem cultum et amorem sibi uni poscit, neque aliorum deorum communionem admittit. Qui creaturam aliquam plus aut æque amat ac Deum, idolum ei adjungit in corde suo; hinc igitur pu-

gna et contentio oritur in conscientia, in qua Deus, velut legitimus sponsus et inhabitator, illico indignatur et quasi obmurmurat, reprehenditque sponsam, donec hostem ejiciat: ac nisi ea id quam primum faciat, plagas ei accumulatur: *Quem enim diligit Dominus, castigat*, Heb. XII. Non patiebatur in eodem utero lenis et Sanctus Jacob hirsutum et flagitiosum Esau: nec Christus Sanctus sanctorum tolerat in corde nostro, imo potius suo, tam caro a se empto, hircum illum satanicum. Videant ergo quid agant, quantum adulterium committant et quanta injuria Christum sponsum suum onerent, qui cor suum alteri quam ipsi impendunt. Procul ab hoc scelere, tunc saltem fuit David, quando dixit, Ps. LXXII. *Quid mihi est in cælo? Et a te quid volui super terram?* Seu ut ex Heb. legi potest: *Tecum non volui socium super terram*. Ecce neque in cælo aliquid extra Deum esse protestatur, cui amorem suum vellet impendere; multo minus in terra. Si ergo neque angeli, nec cælestes deliciae dignæ sunt, quæ admittantur in conclave cordis nostri, ut pari amore cum Christo diligantur; quomodo res terrenæ in cor admitti possunt? Sed audiamus S. Chrysost. in hunc Matth. locum, h. XLII. scribentem: « Quid est, inquit, diligere Deum ex toto corde? Id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius quam ad Dei: nec delecteris in aliqua specie mundi amplius quam in Deo; non in honoribus, non in auro vel argento; non in possessionibus aut vineis; non in animalibus aut mancipiis; non in ornamentis aut vestibus; non in filiis aut parentibus, aut amicis; sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horam amor tui cordis fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas Deum: pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. Ecce si vir habeat uxorem, quomodo cognoscitur uxoris plena dilectio? Uxor neminem debet sapientiorem reputare quam virum suum; etsi sit alter sapientior, tamen illa sapientior esse alterum intelligere non debet; uxor neminem fortior debet putare quam virum suum; etsi alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortior; uxor neminem formosior debet putare quam virum suum; etsi alter formosior, tamen coram oculis ejus alter formosior apparere non debet. Perfectum enim odium et perfectus amor judicium rerum non cognoscit: ut puta, si perfecte odisti aliquem, qualiacumque fuerint apud illum, omnia tibi displicent, sive quæ dicit, sive quæ agit: etsi vere bona sint, tamen tibi mala videntur. Sic et si perfecte ali-

quem amas, quæcumque sunt apud eum, placent tibi, sive quæ loquitur, sive quæ agit: etsi mala sint, tamen tibi bona videntur. Ergo et uxor, si videns aliquem, dixerit, quam sapiens vir! Utinam vir meus talis esset! Jam amor ejus minus habet de perfecto amore; et pro quanta parte amplius aliquid laudaverit in altero viro quam in suo, tanto dilectio ejus minor est ad virum suum. Sic ergo et omnis anima christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, ut nihil sit in mundo quod amplius amet quam eum aut in tantum. Pro quanta autem parte plus aliquid amaverit, pro tanta parte minus amat Deum.»

II. Ut pro eo retinendo omnia potius dare et amittere, etiam cor ipsum, h. e. charissima quæque, ipsam etiam animam et vitam velimus, quam ipsi valedicere. Deus talis margarita est, quæ totius est mundi, et si infiniti essent mundi, omnium pretia longissime excedit: quid mirum ergo, si quandoque petat ut omnia nostra demus ad comparandam illam? Propterea Dominus dixit Matthæi X. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam* (ecce etiam cor et vitam requirit) *et sequitur me, non est me dignus.* Qui hoc modo Deum non diligit, non toto corde diligit; quia non est paratus ad offerendum totum cor in holocaustum Deo, qui partem illius sibi reservat. Templum Salomonis undique tectum auro fuit, etiam pavementum domus, et porticus, et ostia: *Nihilque erat in templo, quod non auro tegetetur*, III. Regum VI. Sic etiam ornatum undique charitate debet esse cor nostrum, quod est templum Dei, ita ut nihil possideat, quod amore Dei perdere non velit. Scimus enim Achabum regem unica corporis parte tectum armis non fuisse, et ibi tamen sagitta vulneratum atque enectum fuisse, III. Regum ultimo. Quando igitur parentes Deo vocanti, v. g. ad religionem filium unum, parati quidem sunt dare unum, sed non istum, non amant toto corde Deum: quando quis ait omnia se toleraturum, sed hanc vel illam injuriam ferre non posse, non amat Deum toto corde: quando quis Dei amore paratus est bona sua perdere, et carcerem etiam intrare, sed non vult dare vitam, non amat ex toto corde. Abrahamum aspice. Jubetur is a Deo immolare filium suum, non Ismaelem illum ancillæ filium, sed dilectissimum suum et unicum Isaacum. Non putatis ipsum vitam potius suam quam filium hunc fuisse daturum? Et tamen absque ulla excusatione aut mora parat se ad mactandum filium, Genesis XXII. Paulum

considerate. Pergens is Jerosolymam, ubi Spiritus sanctus ei prædixerat multa amore Christi toleranda, et Agabus propheta vincendum ac ligandum, discipuli vero profusis lacrymis retinere eum cuperent; ipse: *Quia facitis, inquit, stentes et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu*, Actorum XXI. Videte Magdalenam amore Christi ebriam, loquentem juxta sepulcrum: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam*, Joannis XX. In quem locum Origenes, homilia X. in divers. ait: «O Maria, si corpus Jesu forte positum est in atrio principis sacerdotum, in quo princeps apostolorum calefaciebat se ad ignem, quid factura es? Ego eum tollam. O mirabilis mulieris audacia! O mulier non mulier! Et si ancilla ostiaria interrogaverit te, quid factura es? Ego eum tollam. O ineffabilis hujus mulieris amor! Nullum locum excipit, nullum anteponit, sine timore dicit, absolute promittit: Dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam.» Toto igitur corde diligebat Christum, ad omnia probra et tormenta pro amore ejus parata. Neque hoc durum nimis alicui videatur. Quid enim non faciunt homines propter eos, quos vehementer amant? Nonne Sichem ille, principis filius, Dinæ amore se circumcidi passus est? Gen. XXXIV. Quid igitur non faciat, quid non patiat homo amore Dei?

III. Ut omnia ejus præcepta, a maximo ad minimum, velis servare, nullo exempto. Id esse toto corde Deum diligere, colligitur ex capite XI. Deuteronomii, ubi dicitur: *Si ergo obedieritis mandatis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et servatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra, etc.* et paulo post hoc explicans, addit: *Si custodieritis mandata mea et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus.* Hoc igitur est servire Deo, et in toto corde ambulare in omnibus viis ejus. Erraverunt in hoc Pharisei, qui sufficere putabant, si major pars legis servaretur: et rabbi aliqui, existimantes eos, qui plus bonorum quam malorum operum haberent, posse salvari: item Christiani aliqui tempore Sancti Augustini, in enchi. LXXVI. qui per solam eleemosynam sperabant salutem, licet mandata non servassent. Contra hos enim Sanctus Jacobus, capite II. ait: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, quia nimirum Deus corde toto sibi vult serviri et integro. Hominis cor simile est tunicæ Christi inconsutili, cujus una scissura totam dissolvebat, quia: *Desuper erat contexta per totum.* Scimus certe Saulem incurrisse Dei

iram et reprobationem a sceptro regio, quod eum missus esset a Deo ad interecione delendum Amalec, I. Regum XV. pepercit melioribus, nec omnia delevit quæ anathemati Deus subjecerat. Quidquid Dei præceptis velatur anathemati subjectum est, Christiano vitandum: alioquin Dei iram incurret et reprobabitur, perinde ac si nullum evitasset. Taxatur etiam a Scriptura Jehu rex, qui ad præceptum Dei delevit quidem domum Achab, et idololatriam Baal de Israel; verumtamen ipse non dereliquit vitulos aureos, quos erexerat Jeroboam in Dan et Bethel: unde de eo dicitur: *Porro Jehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo.* Quamobrem? Nonne omnem domum Achab septuaginta ejus filios, et quadraginta septem fratres Ochoziæ, propinquos domus Achab, et omnes sacerdotes Baal occidit? Ita est; sed in uno defecit: *Non recessit a peccatis Jeroboam*, ait sacer textus, IV. Regum X. Itaque solos illos vitulos reliquit, in quibus et ipse post impedit. Idem videre est in Herode, qui ad instantiam Joannis: *Multa faciebat*, Marci VI. verum pellicem suam amovere noluit: cujus rei causa æque damnatus est, ac si nihil eorum fecisset quæ suggererat Joannes. Bene igitur Petrus Chrysologus, serm. XCIV. ait: *Amate Deum, et ama totus, ut possis omnia sine labore vincere peccata.*

IV. Ut minores etiam offensas, seu veniales saltem eas quæ deliberate committuntur, omnino studio evitet. Qui enim perfecte amat, etiam in minimis offendere amatam refugit, nec cum ejus inimico quidquam commune vult habere. Unde Prov. dicitur: VII. *Fili, serva legem meam, quasi pupillam oculi tui.* Quis autem nescit oculum turbari et vexari vel a minimo pulvisculo? Ideo Deus: *Pupillam oculi*, ait S. Ambros., I. VI. hex. c. IV. *Tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est, quia innocentia et integritas* (designata per pupillam) *levi sorde aspersa violatur, et gratiæ suæ munus amittit; et ideo perspicendum est ne quis eam pulvis erroris obliet, aut ulla vexet festuca peccati.* Vexatur enim et turbatur etiam oculus conscientie seu cor a pravis peccatis, deliberata voluntate admissis, uti sensit David, quando oram dumtaxat chlamydis absciderat Sauli regi: *Percussit enim cor suum David* (h. e. Davidem, ut habent Septuaginta, I. Reg. XXIV.) *eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Taceo quod particula cordis permissa inimico, sensim ei aditum parat ad totum diripiendum, sicut parum ligni datum securi a silva, et effictum in manubrium, totam postea silvam excidit. Hæc causa est, cur Moyses Pharaoni ad extremum se resolventi: *Ite, sacrificate Domino: oves tamen vestræ et ar-*

IV. PARS ESTIVALIS.

menta remaneant, respondit: *Cuncti greges pergunt nobiscum: non remanebit ex eis ungula*, Exod. X. Quærit etiam dæmon, si totum aut dimidium obtinere nequit hominem, ut saltem ungulam seu minimam cordis ejus partem apud se retineat, sciens se per ungulam sensim ad se trahere totum cor posse: sicuti Hebræi, si pecora sua in Ægypto reliquissent, facillime eo pedem retulissent: qui etiam cum nihil jam prorsus in ea haberent, eo tamen reverti desiderabant. Scimus sæpe ingentes cervos unica ungula laqueo implexa retineri; multo magis infirmas aviculas: sic et: *Qui spernit modica, paulatim decidet*, Ecclesiast. XIX. Ex toto igitur corde, et ex tota virtute diligunt Deum: *Qui graviter et strenue omnem* (quantum possunt) *defectionem et imperfectionem cavent*, ait D. Thomas, opuse. LXI. c. XXIII. Denique, S. Augustinus, in soliloq., c. XIX. Deo sic loquitur: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

V. Ut totam suam spem et fiduciam in Deo colloquet, non in seipso vel alia creatura: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, ait Dominus, Matth. VI. consequenter et spes tua. In quo ergo quis fiduciam suam ponit, in eo reponit et cor suum. Jam vero quis est spes nostra, qui thesaurus, nisi Deus? Solus ille nos ditare et juvare, omnibusque cumulare bonis potest ac vult; ad ipsum igitur solum apponere cor nostrum debemus. Injuriam ipsi facit, qui in creatura tantquam in Deo, aut magis quam in Deo, confidit; quasi vilis et fragilis creatura plus possit quam creator. In hunc sensum S. Chrysost. cit. hom. XXII. in hunc Matth. text. scribit: «Qui putat incantationes aliquid posse, aut auguria aliquid intelligere, aut divinationes aliquid nuntiare, non ille in tota anima diligit Deum. Quis autem diligit Deum? Qui omne bonum credit esse Deum, et extra Deum non credit esse Deum.» Ergo qui ad magos et ariolos currunt vel mittunt cum infirmantur, non sane amant Deum ex toto corde, sed partem saltem spei et cordis sui ponunt in virtute dæmonis, crystalli, magici carminis aut amuleti. De quibus queritur Deus, Ose. IV. *Populus meus in ligno interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei.* Per baculum Chaldæ. Rupert. et Lyr. intelligunt idola lignea; Isidorus pseudoprophetas, quibus velut baculis et scipionibus innotebatur populus; Hieronymus et alii, baculum divinatorium; quales erant sagittæ Nabuchodonosoris, Ezech. XXI. e quibus in altum jactis conjectabat quam civitatem aggredi deberet. Baculi hujusmodi sunt arioli et veridicæ; qui cum sint rudes et stupidi velut baculi, futura

vel occulta annuntiare audent; nescio tamen an stupidiores iis a quibus interrogantur, certe utrique pari injuria, et quidem intoleranda, afficiunt Deum. His adnumero eos, qui in Deo parum fiduciae ponentes, sperant æque vel magis in divitiis suis. Scimus Ananiam et Sapphiram morte subitanea plexos esse, quod, cum pretium agri sui devovissent Ecclesiae, partem sibi reservassent, ut humana prudentia sibi in tempore necessitatis, v. g. fugæ, persecutionis, senectutis consulere, Deo diffidentes, Act. V. Diviserunt isti cor suum, et partem ejus in Deo, partem in suo peculio, posuerunt: sicque utrumque (ut timendum, et sentit S. August. serm. XXVII. de verb. apostoli, et S. Basilius, serm. I. de instit. monach.) perdidit. Non ergo in fluxis et fluentibus divitiis, sed in Deo immutabili cor ponendum est, ubi nec ærugo id consumit, nec tineæ devorat, nec fures effodiunt. Videat jam quisque ne vel ipse dividat, vel dividi patiat cor suum, ut vel minimam ejus partem demoni permittat; e contra laboret omnibus viribus ut ex toto corde diligat Deum, diabolica vitet contagia, et solum Deum pura mente sectetur.

CONCIO II.

DILIGENDUS DEUS OB BENEFICIA IN NOS COLLATA.

I. Ob bona, quibus nos cumulatur, communia. — II. Ob mala, a quibus liberavit vel præservavit.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.
Matth. XXII.

Sæpius admonemur ut diligamus Dominum Deum ex toto corde nostro. Sed videor mihi audire aliquos ad hoc submurmurantes: quomodo tamen ardentem diligamus Deum, quem oculis non cernimus? Quæ enim sensibus non apprehendimus, languide appetimus; quia absentibus objectis tenuiter movemur. Verum quidem est hoc: non videmus Deum, nec alio sensu percipimus; ejus tamen beneficia plus satis experimur, et quotidie percipimus, imo singulis momentis. At hoc sat superque movere debet nos ad diligendum Deum, et quidem ex toto corde. Quid enim, quæso, fuit, quod Rebeccam permoveret ad amorem Isaaci tam potentem, ut petita in sponsam, assensum mox præberet, quem tamen nunquam viderat? Quid amorem ejus adeo exaueit, ut, sprete paterna domo, ne decem quidem diebus detineri in ea

vellet, sed continuo ad sponsum adduci desideraret? Id enim testatur Sacra Scriptura, Gen. XXIV. Utique nil aliud, nisi pretiosa donaria, inaures, et armillæ aureæ, vestes ornatissimæ, vasa aurea et argentea, quæ miserat ei sponsus, necdum ab ea visus. Possunt igitur eximia dona et beneficia hominem pertrahere in amorem donatoris, tametsi non conspecti: et quidem in ardentem, quo, sprete omnibus aliis, cupiat esse et manere cum benefactore suo. Et si hoc potuere in Rebecca pauca et exigua dona, quomodo non trahant nos in amorem Dei magnifica ipsius et continua beneficia, quibus fruimur quotidie? Hoc ergo ut efficiant, ea nunc obiter conspiciemus.

Duo omnino sunt beneficiorum genera: bonis eumulare, et a malis eripere, vel præservare; utraque variis modis a Deo sibi collata unusquisque deprehendet.

I. Primam sedem obtinent beneficia generalia, toti humano generi concessa, quando propter id hunc mundum et omnia, quæ in eo sunt, ad ipsius obsequium creavit. Quam amarem regem, qui nobis regium palatium donasset, omnibus rebus, quæ ad principem spectant, instructissimum? Hoc palatium mundus est, nobis a Deo structum. Hujus primo laqueare, cælum stellatum et quasi fornicatum, quam pulchrum et gratiosum est! Quam amplum et firmum est! Varia siderum dispositio et mutatio plures eorum cælos indicat. Quis vero est homo, ut propter eum tot et tantæ machinæ, atque ut putatur, ab angelis ipsis, tam constanter et regulariter gyrentur? Secundo, pavimentum undique gramine, quasi tapete pulcherrimo, instratum: primo, ut mollius et nitidius homo ambularet: secundo, ut in eo pernoctans mollius cubaret: tertio, ut viridi colore, velut oculis gratissimo et saluberrimo, visum recrearet et conservaret: quarto, ut fruges arborum in id decedentes mundius servarentur, nec adeo quassarentur: quinto, ut pluvie incidentes diutius hærerent et a terra imbiberentur. Ad honorandum Christum Judæi terram vestibis straverunt, nos herbis, gramine, floribus insternimus. Nobis idem Deus præstitit. Quis eum non laudet summe et amet? Tertio, pro lumine diurno solem dedit, unum omnibus terræ populis sufficientem, pulcherrimum, vastissimum, efficacissimum, celerrimum, medium cæli sic oblique secantem, ut omnibus luceret, omniaque vegetaret, et sua obliquitate varia anni tempora sibi suaviter et utiliter succedentia efficeret. Suo etiam occasu noctem pro quiete et somno capessendo efficit: horas, dies, menses et annos

distinguit, ac numerabiles facit: diem hominum victui et laboribus, noctem feris ad prædandum dedit, ne vel hominibus nocerent, vel ab iis impedirentur. Quarto, pro somno et noctis tristitia temperanda, lucernam lunæ, quasi nocturnum lumen accendit, quod somnum non prohibet: rursum ut viatoribus aliquid luminis impetiret, et afflatu suo terras saturaret, corporaque impleret. Quinto, pro aulæ suspendit in aere, quasi in pariete, nubes lucidas, obscuras, tum ut solis æstum arcerent ac temperarent, tum ut imbres terræ afferrent et infunderent. Sexto, pro lavatorio, pluvias distillat guttatim, quibus corpora refrigeret et aerem, fontes et flumina perennet, potum animantibus det, et terram riget: ita scilicet ut sensim terræ insidentes, sensim imbibantur, quarum loco per hiemem dat nivem sicut lanam, quasi carminatam, ne viventia opprimat. Septimo, scopæ in hoc palatio venti sunt, ut aerem ventilando expurgent, ac salubrem reddant, nubes adducant et abducant, inutilem terræ humorem absumant. Per eosdam navigia impellit, et horum beneficio commercia per universum orbem rerum omnium facit.

Jam servos hujus aulæ videamus. Primo, promi et condi sunt tria elementa, aer, aqua, terra. Aer aves; terra quadrupedia, fruges et vinum; aqua potum et pisces subministrat. Hi promi imprimis non omnia simul eodem tempore; sed successive, nunc hæc, nunc alia, itemque alia et alia suppeditant; tum ut copia nauseam non pareret, tum ut varietas fastidium pelleret, tum ut homines semper aliquid jucundæ operationis haberent. Aer nunc has, nunc alias aves: terra nunc has, nunc illas feras ad victum commodas: fruges alias post alias: aqua singulis fere mensium alios pisces offert. Quodque mirum est, licet innumerabiles capiantur, v. g. pisces et aves, nullus tamen in illis speciebus defectus advertitur, v. g. in turdis, alaudis, fringillis, parvis; neque nimia multiplicatio in illis quæ non capiuntur, v. g. in corvis, picis, passeribus, hirundinibus. Deinde, hi promi interdum condi fiunt, et victum nobis subtrahunt ad tempus, tum ut intelligamus panem a Deo petendum esse, ipsumque adeo timendum; tum ne iis ad voluptatem abutamur; tum ne copia vilescant, et nauseam creent; tum ut in penuria commode vendi possint. Secundo, ignem pro coquo calefactore et nocturna lucerna dedit; qui cum valde necessarius sit, facile proinde parabilis est, ex chalybe et silice, speculo, etc. maxime etiam fecundus seipsum multiplicans, et augens e minimis scintillis. Tertio,

pro custodibus domorum et corporum nostrorum canes dedit, tota fere nocte latrantes, necnon interdum excubantes, nostraque custodientes. Rursum ad venationem variam canes varios dedit; pro muribus et soricibus capiendis, feles; pro muscis araneas. Quarto, pro horologio et excitatoribus gallos gallinaceos, qui post mediam noctem horarum spatia suo cantu proderent, et concisiore sono viciniorem et viciniorem diem annuntiarent; quod mirandum proponit Jobo Deus: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Jobi XXXVIII. versu XXXVI. Quinto, pro operariis et laboratoribus jumenta, quæ nos et onera nostra veherent et portarent, uti equos, asinos, boves, camelos, elephantos. Sexto, pro sartoribus et sutoribus ad nos vestiendos, ferarum variarum pelles, et coria, lanam bombycem, gossipium, linum, canabim. Septimo, pro medicis et pharmacopolis, tot species herbarum, thermes, acidulas, etc. Octavo, ad nostram delectationem omnibus sensibus providit varia objecta, quæ eos recreent. Visui tot genera florum, avicularum variis coloribus distinctarum, adeoque vilissima etiam insecta, uti papiliones, locustas variis et speciosissimis alis et corpuseculis vestitos, ita ut Salomonis gloriam superent: auditui, avium cantus, voces pecorum, instrumenta musica: gustui, tot ciborum et potuum genera: olfactui, thus, balsamum, myrrham, flores. Nono, pro instructoribus dedit pene omnes creaturas ad sectandas virtutes, vitia fugienda. Multa ut futura nobis prænuntient, velut tempestates et prælia, etc. Decimo, pro exercitio virtutum, et pro peccatorum vindicta dedit alia ferocia et venenata animalia, alia molesta et vexantia, uti muscas, culices, pulices. Illa, ut intelligamus a quanta dignitate per peccatum exciderimus; hæc, ut sciamus in quantam vilitatem infirmitatemque deciderimus, qui nec contra minutissimas bestiolas defendere sat nos possumus. Videmus ergo ex hoc capite, quantum obligemur ad amandum Deum. Unde S. August. lib. X. confess. cap. XVIII. ait: *Cælum et terra, et omnia, quæ in eis sunt: ecce omnia mihi dicunt ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ita ut sint inexcusabiles.* Neque minus hoc beneficium æstimandum, quia pluribus commune est. Pauper enim non minus agit gratias largitori magnæ eleemosynæ, quia et alii parum ab illo acceperunt; neque æger sanatus medico, quia et alii ab eo sanati sunt; neque tu liberali hospiti tuo, quia et alii ab eo excepti fuere lauto convivio.

Sed descendamus jam ad particularia bona. Ac primo, cogita bona, quæ præ aliis acceperis